

QK. 131,2f.

X 2005040

Ya  
5325

Indiculus A&orum  
IN CAUSA BANNI  
CIVITATIS ERFURTENSIS,  
Historiam totius Negotii continens.

Indiculus  
Literarum Regiarum, Electoralium  
aliarumque  
De  
EXECUTIONE BANNI  
ERFURTENSIS.

Indiculus  
Rationum Contra  
EXECUTIONEM BANNI  
ERFURTENSIS.

Copia  
Schreibens von Chur-Brandenburg  
An  
Chur-Maynz /  
Die Statt Erfurt Betreffent.  
Anno 1664.



882

Pres pub

Spezialbibliothek

R 2



gewinnliche Deduction und Wasserfaller bewirkt daß die Stadt  
Lufft in Puncto des von Herr Quir. Guader zu Mainz  
bey derselben geführten Arbeit, Gebotss. u. sonstigen  
besehene Wiedererfüllung vorüber bestat 1663 u. f. u. u. u.  
Teil. Teil 4.



fer  
fa  
fa  
&  
gas



Indiculus Actorum  
**IN CAUSA BANNI**  
ERFURTENSIS,  
Historiam totius negotii complectens.

I.



Acc Germaniæ anno 1648. reparatâ, Eminen-  
tissimus Dominus Elector Moguntinus, in pri-  
stinum se statum contra Civitatem Erfurten-  
sem restitui desiderans, impetratâ ad hoc ex  
capite conclusæ Pacis, Commissione Cæsareâ  
Ao. 1649. post alia Restitutionis Capita petivit:

Das vor dem eingefallenen Kriegswesen ( hæc enim ver- *Annus*  
ba fuere Ablegatorum Moguntinensium ) in den Evans *1649.*  
gelischen Kirchen / auff öffentlicher Cankel gebräuchlich  
gewesene / aber diese Jahr hero vnterlassene Gebett vor  
einen Regierenden Herrn Erz-Bischoffen vnd Chur-  
Fürsten / der vorigen Observanz gemäß / wieder einzufüh-  
ren: i. e. ut preces pro Domino Archiepiscopo & Electore  
regente, ante motus bellicos in templis Evangelicorum  
ex Cathedrâ publicâ recitari solitæ, sed proximis hisce  
annis intermissæ, juxta priorem observantiam denuò  
introducerentur.

II.

Senatus primùm, ut preces inter res restituendas re-  
ferrentur, rationi non convenire, quicquid enim hac in re  
factum unquam fuisset, non ad Mandatum Domini Electoris  
factum, sed ex ordinatione Senatûs Urbici, Jura Ecclesiastica,  
& inter hæc jus instituendi Ceremonias precesque Ecclesiasti-  
cas, vigore Inst. Pac. religiosæ liberè obtinentis, factum fuisse, eâq;

liberrate etiam in posterum usurum se esse, profitebatur: Deinde in facto etiam constanter negabat, ante motus bellicos unquam pro personâ Electoris & Archiepiscopi preces publicè factas fuisse: Equidem si quando Tractatus ad componendas inter Dominum Electorem & Civitatem subortas lites agitati, preces pro felici horum Tractatum successu ( *vmb glücklichen fortgang selbiger Tractaten* ) publicè pronunciatas, at pro personâ nunquam, nisi ab anno 1626. ad annum usque 1630. adeoque intra motus saltem bellicos, & post terminum pactis Osnabrugo: Monasteriensibus pro Restitutionis regulâ statutum.

### III.

*Annus*  
1650.  
Ad hæc Domini Commissarii Cæsarei, Principum Bambergensis & Wurtembergici subdelegati, 6. Junii, Anno 1650. decrevère:

Dasz mehr berührtes gemeines Gebett in den Evangelischen Kirchen/für höchstbes. Ihre Churfürstl. Gnaden vnd dero Erzstift Maynz/auff den Cankeln/eâ intentione & modo, wie solches auch ante motus bellicos gebräuchlich gewesen/auch ins fünfftig wieder eingeführt/vnd gepflogen werden solte: id est, ut sæpè dictæ publicæ preces in templis Evangelicorum pro altissimè memoratâ suâ Eminentia Electorali, & ejus Archiepiscopatu Moguntino, è Cathedris Ecclesiasticis, eâ intentione & modo, ut ante motus bellicos in usu fuerunt, etiam in posterum introducantur & continuentur.

Qua autem intentione & modo ante motus bellicos fuerit oratum, in dicto Decreto equidem non expressum.

### IV.

*Annus*  
1655.  
Substitit intra terminos hosce hic punctus ad annum usque 1654. vel 55. ubi Commissarii Cæsarei, qui prioribus

ex

ex intervallo successerant, Recessui (quem vocant) tum noviter confecto in puncto precum sequentia inseruerunt:

Das weil solche Sache bereits bey voriger Commission, per Decretum finale ihre erörterung erlangt hette / Sie es darbey bewenden lieffen: id est, quod cum hæc Causa jam in priori Commissione, per Decretum finale decisionem suam adepta esset, ipsi eandem ita permanere finerent.

V.

Interim pendente hæc ipsâ secundâ commissione Civitas, quasi priori Decreto anno 1650. pronunciato satisfactura, ad exemplum & imitationem formulæ cuiusdam anno 1615. adeoque ante motus bellicos, usurpatæ, pro fausto istorum Tractatum successu publicè Dominicâ II. Epiphan. orare cœpit, & quamdiu duraret ista Commissio, perrexit, non refragantibus eidem Commissariis prædictis.

VI.

Quin Anno 1660. Domino Barone Schmidburgio, *Annus*  
Consiliario Imperiali Aulico, tertiæ Commissionis Cæsareæ *1660.*  
causâ urbem ingresso. illam ipsam precum formulam Civitas repetiit; Qui quidem ab initio, nihil sibi in puncto precum commissum esse significavit, sed postea Moguntiam profectus, atque inde reversus, instantibus Moguntinis, non exiguam componendo negotio operam impendit; Variæ tum excogitatæ precum formulæ, quibus Eminentissimo Domino Electori satisfaceret, nullâ scilicet eiusmodi formulâ, quâ ante motus bellicos pro Electoris Personâ oratum fuisset, in scriniis tum Eminentissimi Electoris, tum Senatûs, aut Privatorum etiam Chartophylaciis apparente.

VII.

Enim verò novas concipi oportuit, interque eas pri-

nam ipse Baro Schmidburgius eodem anno 1660. proposuit,  
sequentibus conceptam verbis :

Vor die Römische Käyserl. Mayest. alle Christliche Kö-  
nige/ Chur: Fürsten vnd Stände / vnd dergestalt vor Ihre  
Churfürstl. Gnaden zu Maynz / daß Gott dero Ges-  
müth regieren wolle / daß die zwischen Ihrer Churfürstl.  
Gnaden vnd vnß obschwebende differentien zue gemeiner  
Statt wohlfahrt außschlagen mögen. id est, pro S. Im-  
peratoriâ Majestate, omnibus Christianis Regibus,  
Electoibus, Principibus & Statibus, & sic pro Eminen-  
tiâ suâ Electorali Moguntinâ, ut Deus ipsius mentem  
regere velit, ut obversantes inter Eminentiam suam  
Electoalem & Nos differentia in communis Civitatis  
salutem componantur.

VIII.

At Senatus sequentem obtulit :

Wir bitten auch den lieben Gott / daß Seine Allmacht  
Ihrer Churfürstl. Gnaden zu Maynz Consilia dergestalt  
leiten vnd regieren wolle / damit die zwischen dero selben vnd  
gemeiner Statt noch obschwebende differentien, zu vnser-  
rer / vnd vnserer Nachkommen wohlfahrt glücklichen erörtert  
werden mögen: id est, precamur etiam Deum Dilectum,  
ut Omnipotentia sua Eminentia suæ Electoralis Consilia ita  
ducere & regere velit, ut inter ipsam & Civitatem Com-  
munem obversantes differentia, ad nostram nostrorum-  
que posterorum salutem feliciter decidi queant.

IX.

Rem Dominus Baro Schmidburgius retulit ad  
Eminentissimum Dominum Electorem, qui posteriorem for-  
mulam, sequentibus verbis ita interpolatam & auctam, ut ter-  
tia instar esset, remisit.

Wir

Wir bitten auch den Lieben Gott vor Ihr Churfürstl.  
Gnaden zu Mainz / als Unsern Gnädigsten Herrn/  
vnd dero Erbs-Stift / daß seine Allmacht / dieselbe in gu-  
tem wohlstand erhalten / vnd dergestalt leiten vnd rez-  
gieren wolle / daß solche so wohl zu erhaltung bestän-  
diger gemeiner Reichs-Ruhe / als glücklicher hinlegung  
aller bis dahin entstandener mißhelligkeiten / zu vnser  
vnd vnser Nachkommen gänzlichher beruhigung vnd wohl-  
fahrt gedeyen mögen. id est, Precamur etiam Deum  
Dilectum, pro Eminentia sua Electorali Moguntina,  
uti Domino nostro clementissimo, & ipsius Archie-  
piscopatu, ut Omnipotentia sua ipsam (vel ipsum)  
in statu prospero conservare, & ejus consilia ita du-  
cere & regere velit, ut ea tam ad conservationem  
constantis quietis publicæ Imperii, quam felicem  
compositionem omnium eousque exortarum dissen-  
sionum, ad nostram Nostrorumque Posterorum om-  
nimodam tranquillitatem & salutem perringant.

X.

Hanc formulam Limplechtus Quatuorvir (Ober-Bierherz)  
quasi à Senatu approbatam, omiffa saltem particulâ, A&S/  
Uti, describi & unâ cum Declaratione nomine Senatûs  
conceptâ, 30. Novemb. 1660. publico Sigillo signatam  
Domino Baroni Schmidburgio exhiberi curavit, eandem  
postea 12. Decemb. Universis Senatoribus & tribunis plebis  
(Tutores ibi vocantur: die Vormundere) ad exquiren-  
dum eorum assensum proposuit.

Materiam ecce & fontem subsecutarum mox gra-  
vissimarum calamitatum, quibuscum misera Civitas ad  
internecionem usque conflictata fuit. Factum enim hoc  
Limplechti variè à Civitate accusatum, propriâ quædam  
eum authoritate, quædam non satis bonâ fide egisse, Se-  
natum

natum populumque circumvenisse, aliud pro alio substituisse, alia munere suo, quo fungebatur, indigna patrafse. In cuius rei veritatem multis jam inquirere nihil attinet, postquam seriem tantum rerum gestarum, quantum quidem ex Actis ad manus nostras pervenientibus nobis constitit, brevissimis & planissimis verbis exponere atque recensere constituimus.

XI.

*Annus* 1661. His ergo ita peractis, neque tamen effectui datis, non, inquam, introductâ istâ, quæ ita conventa perhibebatur, precum formulâ, Baro Smidburgius 20. & 30. Jan. 1661. Urbe excedit.

XII.

*Annus* 1662. Sed acriter instante Eminentissimo Electore, & Civitatem Rescriptis ab Augustissimo Imperatore impetratis urgente, Senatus Anno 1662. ad Supplicationis remedium, Instr. Pacis art. 5. §. quoad Processum &c. firmatum confugit; Quod tamen ipsi, præter omnem spem & expectationem denegatum, quibusdam Imperialis Aulae Consiliariis graviter, sed frustra, dissentientibus. Allegabant e quidem hi ipsi Consilarii

Supplicationis remedium Instr. Pacis fundatum, gravitatem Causæ, & metuenda in proximis Comitibus, si denegaretur revisio, fastidia: Conclusum Consilii Aulici in hac Causâ præcedens, in pleno Consilio, more Majorum, ante factam Cæsari oblationem, non prælectum, ideoque quædam, quæ inseri debebant, omissa; alio tempore Causam hanc, plerisque Evangelicis Consiliariis absentibus, tractatam; agi verò inter Electorem Catholicum & Civitatem ipsi sub certis legibus subjectam & privilegiis ornatam, Confessioni Augustanæ addictam; formulam precum novissimam

Decreto



Decreto anno 1650. prolato non respondere : Non  
obstare , quòd transactione placuisse dicatur novissi-  
ma ista formula , paratam enim jam esse Civitatem  
ostendere , quòd ista transactio non liberâ voluntate,  
nec consensu eorum , quorum deberet , facta esset.  
Suâ itaque sententiâ , ulteriora paritoria , aut execu-  
tionis Commissionem non esse decernenda , sed Se-  
natui terminum ad solennia remedii Supplicationis præ-  
standa præfigendum , & sic ulterius audiendum.  
Hæc illi ; Quâ tamen ratione factum fuerit, quo mi-  
nùs sententia hæc, Inst. Pacis & æquitati consona ob-  
tineret , in promptu causa est , de qua equidem tace-  
re præstat , quàm pauca dicere.

#### XIII.

Instructus verò novâ Commissionem & Mandatis  
Dominus Baro Schmidburgius, cum Collegâ Domino Gop-  
poldo 18. & 28. Decemb. 1662. Erfurtum redit , pari-  
tionem severè imperat , atque renitente Senatu , suisque  
exceptionibus , factum Limprechtii spectantibus , aliisque  
insistente, tandem 2. & 12. Maii 1663. Sententiam in Cu-  
ria Erfurtensi promulgat , quâ Senatus ob contumaciam  
in hac precum causâ admissam, in pœnam 50. Marcarum  
auri condemnatur.

*Annus*  
1663.

#### XIV.

Miretur quispiam , quî factum , quòd res primâ  
fronte tam levicula, tantâ animorum contentione hinc in-  
de acta fuerit. Et Erfurtenses quidem quod attinet, ipsi  
non diffessi , se libertati suæ metuere , quam per obliquum  
hoc precum postulato peti , suspicabantur ( suspicionem  
non augmentibus, sed penitùs, rem ita se habere, persuadentibus  
quibusdam Ministris Moguntinis, qui ipsi palàm hanc Emi-  
nentissimi Electoris mentem jactaverant. ) Cui enim aliàs

B

bono

bono coactas illas preces ? Hæc, si quidem apud Deum valere deberent, devotioni cujusque hominis propriæ permitendas, non imperandas, amore & benevolentiam excitandas, non invitis excutiendas. Neque enim ex verbis sine mente prolatis, preces pendere, sed ex cordis affectu, qui, tantum abest, ut cogi se pateretur, ut potius in odium accendi possent animi, ægrè vim sibi inferri ferentes,

#### XV.

Senatus tamen, fretus tandem Augustissimi Imperatoris atque inclytæ Domûs Saxonicæ Declaratione, (non præjudicatum iri juribus & Privilegiis Civitatis) neve stimulum calcitraret, non tantum ipse assensit, sed & Plebi & Civibus, ut formulæ precum introducendæ adsentirent, seriò & variis artibus, Edictis etiam publicè affixis, inculcare tentavit.

Cives contra, plebeii maximè ordinis, obstrepere, Senatuum arguere, vociferari, proditones clamare, Limbrechtium, suo quidem judicio Tragœdiæ authorem, in jus vocare, denique Senatuum impellere, ut ipsum in Curiam Captivum detineret, processu inquisitorio adversus ipsum formato.

#### XVI.

3. & 13. deinde Julii (cùm Commissarii Cæsarei jam ante 7. & 17. ac 9. 19. Junii, Erfurto se Mullhusium, si rectè memini, recepissent) Tribuni plebis amplissimum Scriptum exhibent Senatui, quo multis argumentis ostendunt, se nunquam adstipulatos fuisse, neque adhuc adstipulari velle aut debere formulæ (quam vocabant) Limprechtianæ.

#### XVII.

Nihil intermisit Senatus, ut Plebis ardorem compefceret, mandatis iterum publicè affixis monens, minans, hortans, bona severis verbis miscens; sed parùm pro-

profecit , ferocioribus ex plebe jam patam ad seditionem  
spectantibus , Senatui insultantibus , mandatum etiam Sena-  
tus aliquando refigentibus , aliquando occlusorum claves  
templorum , ne eo die preces introducerentur , secum  
ferentibus,

### XVIII.

18. & 28. Sept. novum mandatum Casareum die  
28. Iulii St. Nov. datum, per Notarium & Testes in Curia  
Erfurtensibus insinuatur, in quo, ad accusationem Eminen-  
tissimi Electoris, sub Poena Imperialis Banni & amissionis  
omnium privilegiorum, Senatui, Tribunis & toti Commu-  
nitati Civitatis Erfurtensis injungitur, ut intra octiduum  
(à die insinuationis computandum) in puncto precum prio-  
ribus mandatis parerent, adjectis adhuc aliis quibusdam  
punctis, quorum mentio in prioribus equidem ad Commis-  
sarios directis Rescriptis, facta erat.

### XIX.

Adversus hoc mandatum Tribuni plebis, concivium  
& Communitatis nomine, coram Notario & Testibus 24.  
Sept. & 4. Octob. Beneficium revisionis & supplicationis arri-  
piunt, Communitatem, contra quam tamen conceptum  
jam erat hoc mandatum, nondum haftenus citatam, non-  
dum ne verbulo quidem, in omnibus hisce Causis, judi-  
cialiter auditam conquerentes.

### XX.

At Senatus alio Instrumento publico, se, quantum  
in se quidem situm esset, paruisse, & parere velle, testa-  
tus, Instrumentum hocce partitionis ad Commissarios Mul-  
husium transmisit.

### XXI.

Et videbatur jam res in eo esse, ut Communitate

B 2

pro suo

pro suo interesse & jure audiri cupiente, Senatu verò omnem conatum ad parendum præstante, ad evitandas nullitates, illi quidem æquæ judicantium aures præberentur, hic autem plebis ferociâ, ipsâque adeo facti impossibilitate à poenâ tam atroci excusaretur, ad minimum, ut res denuò ad Augustissimum Imperatorem referretur.

XXII.

Sed mirum dictu, postquam 6. Octob. St. Nov. Moguntini Deputati Mullhusii paucula quæpiam scripto coram Dominis Commissariis proposuerunt, Erfurtensium contumaciam accusantes, & documentum partitionis à Senatu transmissum reiici postulantes, dictum, factum, statim Domini Commissarii ad Banni poenam infelicissimæ Civitati irrogandam se accinxerunt, non operæ pretium rati, ut denuò Civitas, sive Senatus, sive Tribuni super allegationibus Moguntinensium audirentur in Causâ subito omnium gravissimâ, fortunas, libertatem & vitam tot hominum nocentium juxtâ & innocentium concernente. Ergò eadem adhuc illâ die, quâ datum est istud ultimum Moguntinensium Scriptum, die (inquam) 6. Octobris St. N. instruunt Domini Commissarii Fecialem Cæsareum ad declarationem Banni, contra Erfurtenses expediendam.

XXIII.

Profectus ergo altero die Mullhusio Fecialis, 28. Sept. & 8. Octob. Erfurtum devenit, ubi publicaturus duas insimul Sententias, in Imperiali Aulâ jam 28. Inlii (St. Nov.) 1663. adversus Senatum, Tribunos, & totam Communitatem conceptas, Declaratoriam unam, alteram Confirmatoriam Banni Imperialis.

Publicaturus, inquam, Fecialis has Sententias, à quibusdam ex vulgi fœce maleferiatis, non verum illum, sed personatum esse Fecialem, à nescio quo Dæmone persuasis, impeditus

impeditus, ex equo deturbatus & verberibus affectus fuit, Senatu & sanioribus atque optimatibus quibusque horrendum hoc scelus detestantibus & deplorantibus amarè; Etiam si absque aliorum civium bonorum ope fuisset, vix evasisset vivus. At agrè furientium manibus creptus & intuetiorem deductus locum, postridie ad Dominos Commissarios reversus est.

#### XXIV.

Non substirrit hinc plebis infamia, sed cum Eminentissimus Elector Moguntinus copias quasdam mense Novembri 1663. in Eislebiam misisset, ad executionem (quod ipsa sua Eminentia 30. Octobris (St. Nov.) de se scripsit) à Cæsare sibi commissam, adversus Civitatem peragendam, & Cohortes nonnullæ Erfurtensium pagos ingressæ, captos, duos Fabros lignarios, Cives Erfurtenses pauperculos, crudelissimè antea per integram noctem habitos & excruciatos 7. & 17. Novemb. ex curru, in conspectu urbis suspendissent, atrocè istud facinus novas in urbe turbas dedit, concurrentibus civibus & funera suspensorum in foro publicè exponentibus, deinde quasi in rabiem actis, virum quendam primariam occidentibus, alios verberibus malè multantibus, aliorum ædes invadentibus & spoliantibus. Eademque tempestas Limprechtio quoque fatum suum accelerasse videtur, qui 11. & 21. Novemb. torturæ subjectus, 20. 30. Novemb. Capite tandem truncatus fuit.

#### XXV.

Dici vix potest, quantâ animorum ægritudine totus superioris Saxonie Circulus cum vicinis, Franconico & inferiori Saxonico, Causam, si principium spectes, adeò levem, progressui suo tantum ponderis sumsisse, ut oppressura Civitatem videretur, persenserint.

Ipsè Serenissimus Saxonie Elector, ut rebus vehe-

menter exulceratis aliquod remedium offerret, virum cordatum misit ad Erfurtenses, qui plebi partitionem persuaderet.

Et hic quidem Mense Decemb. Anno 1663. magno id agens studio, ægrè tandem impetravit, ut secundum primam istam Anno 1660. à Domino Barone Schmidburgio propositam, & superiùs in margine Num. 7. notatam formulam, preces introduci se passuros pollicerentur; Ad hanc ipsam formulam, utpote à Dn. Barone Schmidburgio primitus, motu proprio & ad neutrius partis petitionem, aut gratificationem prolatam, optimo maximo jure applicari posse mandata Cæsarea rati.

### XXVI.

*Annus*

1664.

Verùm in Comitibus Ratisbonensibus Serenissimus Elector intelligens, ne sic quidem producere negotium, Aulâ nimirum Cæsareâ, juxtâ cum Eminentissimo Electore, non ad priorem istam, sed posteriorem Num. 9. signatam, precum formulam respiciente, frustrâ etiam pulsare fores Augustissimi Cæsaris pro concessione Salvi conductus, & Banni relaxatione, pro his enim bis jam supplicaverat Civitas literis 25. Jan. & 4. Feb. ac 22. Feb. & 3. Mart. 1664. datis, idem cujus antea mentionem fecimus, vir gravissimus, jussu Serenitatis suæ Electoralis suffultus, secundâ vice Erfurtum properavit, atque autoritate Serenissimi Electoris suffultus, cæteris etiam Ducibus Saxoniae officium suum pro publicâ tranquillitate obtinendâ strenuè facientibus, denique Communibus Evangelicorum Principum & Statuum in Comitibus Legatorum ( Erfurtenses, ut partitione sibi consulerent, graviter hortantium ) Literis oportunè intervenientibus, tandem perfecit, ut Senatu pristinam auctoritatem denuò adeptus, & in carcerem coniectis quibusdam seditionum turbis, ista, de qua hætenùs lis fuerat, formula,

illa

illa ipsa nempe, quæ ab Eminentissimo Electore profecta,  
& postea conventa dicebatur, 19. 29. Maii, hoc anno pub-  
licè in Ecclesiis Evangelicis introduceretur, & inquisitio in  
refractarios inchoaretur.

### XXVII.

Nunc res in vado est, & si quæ restarent multæ im-  
pensarum &c. nomine exigendæ vel decernendæ, ex æquo  
& bono facilè iudicis officio definiri posse putatur: Suppli-  
cat Imperatori majori nunc confidentiâ Civitas, pro Salvo  
conductu, & pro relaxatione Banni, Instrumentum exhi-  
bet partitionis, Rogat Universos Status, directis ad singula  
Collegia supplicibus libellis, sibi deprecanti ut interces-  
sione subveniant; Reconciliari Eminentissimum Electro-  
rem omnibus votis exoptat, Clementiam Cæsaris implorat;  
Cum ecce nova desubito exoritur tempestas.

Eminentissimus Elector paratis Copiis, in auxilium  
etiam accersitis Lotharingicis aliisque contra jam paren-  
tem Civitatem Executionem tamen creditur moliri.

*Sub finem Augusti  
Anni 1664.*

Indicu-

Indiculus  
Literarum Regiarum, Electoralium  
aliarumque,  
De  
**EXECUTIONE BANNI**  
ERFURTENSIS.

**Q**Uæ aliorum Regum, Electorum, Principum atque Statuum Imperii, eâ de re sit aut esse possit sententia, qui animi motus, nunc paucis subiiciendum.

Præstat autem in re tanti momenti, & tantos Heroes attingente, alienis potius, quàm nostris verbis loqui. Cùm ergò priori anno, partitione Erfurtensium non incum, in quo nunc est, statum perductâ, rumor item de Eminentissimi Electoris proposito, Bannum adversus Civitatem exequendi increbresceret, quid inclyta Domus Saxonica fecerit, quàm amicè & candidè Eminentissimum Dominum Electorem, ut sibi & Patriæ parceret, admonuerit, nihil attrinet dicere. Quisque Serenissimam istam Domum, amore pacis & bonæ vicinitatis colendæ studio insignem, huic non minùs litasse, quàm officio, juribusque suis, in ipsâ Civitate ejusque pagis sibi competentibus satisfecisse facile autumabit. At præter inclytam istam Domum, quæ proprio & singulari jure per Orbem noto, intercessit, non defuêre, qui de publica quiete solliciti, omnem ad extinguendum hoc incendium suffuderunt aquam: omnes hic in medium proferre literas, quibus animi sui sensa hi, quorum publicæ salutis causâ intererat, significârunt, nec temporis ratio patitur, nec instituti nostri: Sed nec omnes ad



nes ad manus nostras pervenerunt , nec omnes jam evol-  
vere vacat. Proferemus tamen, quas scimus potiores ,  
temporis ordinem secuti.

I.

Primùm occurrunt literæ Circuli superioris Saxo-  
nici, 10. & 20. Octob. superioris anni 1663. ad Augustissi-  
mum Imperatorem perscriptæ : Conqueruntur ibi Status de  
nimiâ Commissariorum Cæsareorum ad publicationem Banni  
festinatione ; deinde ne ad executionem Banni proceda-  
tur , intercedunt , Senatam, Tribunos & Cives primarios ad  
paritionem jam paratos , at plebis, vilium quorundam homi-  
num instinctu excitatæ injuriâ prohiberi. Non ab universâ  
Civitate delictum commissum , sed à singularibus tantùm  
personis : Non ergò adversus totam Civitatem promul-  
gari posse Bannum , nec æquum esse , ut innocentes cum  
nocentibus plectantur. Et ut locum haberet, delicti ratione,  
declaratio Banni , attamen non latere Suam Cæsaream Ma-  
jestatem , quid in Capitulatione conventum sit. Omnium  
minimè Eminentissimo Electori Moguntino , quippe Parti  
& Actori , in propriâ Causâ committendam esse executio-  
nem ; sed nec loci ratione executorem eum esse posse,  
scilicet in Circulo alieno. Denique rogare , ne turbulen-  
tis hisce temporibus turbæ excitentur in circulo superiori  
Saxonico, & Statûs suppetias Augustissimo Imperatori ferre  
impediantur, neve Civitas innocens, propter singularium per-  
sonarum peccata opprimatur.

Repetunt , suspendendam esse executionem Banni ,  
& convenienti loco , utrùm Civitas Bannum meruerit, ma-  
turè cognoscendum : Quòd si appareat, singulos tantùm  
deliquisse , pœnis illos, præviâ inquisitione, afficiendos , sin,  
totam Civitatem in Bannum incidisse, executionem tamen  
Circulo Saxonico superiori , in cujus meditullio sita Civitas,  
C  
commit-

committendam. Obiter etiam, Casum hunc ad punctum restituendorum, deficientibus nimirum requisitis, referendum non esse, monent.

II.

Status Circuli Franconici, Bambergæ congregati, Literis 10. 20. Febr. Anno 1664. ad Augustissimum item Cæsarem datis, executionem in Erfurtensem Civitatem dissuadentes, exponunt, internam Statuum Concordiam ad arcendum Turcam, hostem adeò potentem, summè necessariam, cum è contrario interni motûs & executiones militares vix suis se limitibus contineant, quin viciniam plerumque corripiant & involvant, subditosque difficiles reddant & inhabiles ad nervos rerum contra Turcam gerendarum suppeditandos. Temporis enim rationem habendam, & impendentis Imperio periculi, quamque executio hæc impedimento futura sit expeditioni contra Turcam faciendæ, considerandum. Amicabili potius compositione negotium ita transigendum, ut internæ securitati consulatur, & Circulus Franconicus maneat intactus.

III.

In eandem sententiam, si rectè memini, Circulus etiam Saxonix Inferioris scripsit, quæ literæ jam non sunt ad manus.

IV.

Potentissimus etiam Rex Sueciæ, Literis ad Eminentissimum Electorem, ex Arce Holmensi, 12. Martij (St. Vet.) datis,

Non credere se ait, quòd juris via, aut amicabile Compositio Domino Electori displiceret. Eam verò sibi esse sententiam, quòd qui aliâ viâ jus suum exequeretur, vestigia pacis excederet. Nunquam se jura Electoris disputaturum, saltem requirere, ut in iis persequendis, bellum in Germaniâ  
& Cir-

& Circulo superioris Saxoniae, ubi pacatum fovere statum Regiae quoque suae Majestatis interesset, denuò non accenderet. Habuisse etiam Regem, & adhuc habere justissimam causam jura sua persequendi, nec deesse media eadem vindicandi; malle se tamen abstinere, & differre, aliaque media omnia potius sectari, quam bonam Causam vi exequendo, belli resuscitandi opinionem de se concitare. Esse itaque se Eminentissimo Electori exemplo, quod imitaretur: Opportunè facturum, si, dum hostis communis praeforibus streperet, arma domi suspenderet, ac jure vel amicabile Compositione rem transigipateretur.

V.

Civitati verò ipsi eodem die scripsit: Se equidem non velle detractum juri, Moguntino Archiepiscopatu, aut cuiunque Statui competenti, attamen non passurum, ut res & libertas & salus Erfurtensium, periculo aut oppressioni exponerentur. Optasse se, ea moderatio utrinque fuisset adhibita, praesertim à parte Erfurtensium, imprimis in Fecialis Caesarei receptione, ut nihil haberent alii, de quo conqueri & indignationem aliquam elicere possent. Cum tamen hoc, quod à quibusdam Erfurtensibus perpetratum, Civitati universae, vel majori ac saniori ejus parti, extra noxam positae pro Crimine imputari non deberet, praesertim reluctante Magistratu, & plerorumque Civium animo, æquum non esse, ut innocentes cum nocentibus nullo discrimine traducerentur, sed ut habitae ratione justae dehinc tranquillitati consuleretur. Quicquid est per Circulum Saxonicum, in favorem Civitatis, literis haecenus tentatum, id meritò factum videri. In qua sententiâ Regem etiam Christianissimum (aliàs propensum) confirmaturum se, atque per suos in Imperio Romano Ministros eidem negotio sic se velificaturum, ut & publicae tranquillitatis studio se duci, meritique ipsorum

memorem esse, ac ingruentia ipsis pericula avertere velle,  
conservationemque Civitatis curæ sibi esse intelligerent.

VI.

Principum atque Statuum Evangelicorum Legati Memoriale, 13. & 23. Aprilis datum, Augustissimo Imperatori in Comitibus per Deputatos porrigunt 1. Maij & 21. Aprilis 1664. in quo Imperatoriam suam Majestatem omni submissione rogârunt, ut salvum conductum, quem Civitas petebat, eidem impertiretur. Non obscurum esse ex prioris seculi historiâ, quòd in causâ simili, Magdeburgensem Civitatem concernente, Imperatoria Majestas Magdeburgensibus Imperiali Banno percussis, ac ab universo Imperio pro Pacificis habitis, etiam non petentibus, Salvum conductum indulgisset, & Statibus Imperii annuisset, amicabilem viam tentaturis, quâ Magdeburgenses ad obedientiam pacatè & sine armorum strepitu reducerentur: Recessu id Imperii de Ao. 1551. §. *Wiewohl wir nun ic.* abundè testante. Durum proinde, & Evangelicis perquam triste videri, si, quod Civitati Erfurtensi, etiam non petenti, offerendum foret, Supplicanti jam & ad pedes Augustissimi Cæsaris provolutæ, hoc præsertim rerum statu periculosissimo, dènegaretur. Non tantùm inclytæ Domûs Saxonicæ Interesse hîc versari, sed &, si Banni executioni adversus Civitatem (in quâ proculdubio quàm plurimi innocentes & facti culpæque prorsus expertes) conniveretur, integros etiam Circulos tumultibus & variis incommodis involvi posse, non sine gravissimo Imperatoris & Imperii, imò totius Christianitatis detrimento, vicinis nempe Statibus in varia distractis, & ad incendium propriis ædibus arcendum potius concursuris, quàm copias suas, quibus domi egerent, ad remotiora loca missuris. Eminentissimum Electorem Moguntinum tam Christiani fore & generosi animi, ut pacata potius remedia amplexurus, quàm ob causam tam levem, antiquam hanc  
& amplissi-

& amplissimam Urbem internecioni esset daturus , præsertim cum Causæ aliâ , Eminentiaæ suæ Electotali magis proficua , viâ consuli posset.

VII.

Iterum Circulus Saxoniae superior novissimè ad Augustissimum Imperatorem Literis , 25. Junii ( St. Vet. ) 1664. datis perscripsit : Videndum esse , ut in Circulo hoc pax & tranquillitas conservaretur , neque in Causâ Erfurtenfi novæ turbæ excitarentur , & Circulus aut propriae securitati prospicere , aut per Copias in Ungariam jam missas suæ Cæsareæ Majestati porro auxilio esse impediretur : Civitatem Erfurtensem in Puncto precum injunctam sibi partitionem jam præstitisse , Senatūque occupatum in inquisitione adversus tumultuantes omni studio peragendâ. Rogare ergo , ut Piissimus Imperator , hanc Erfurtensem Causam ad ulteriora præcipitia deduci non pateretur , sed consideratis illis , quæ prioribus literis , 10. Octob. superioris Anni Datis , adductæ fuissent , rationibus , Civitatem Salvo conductu & relaxatione Banni bearet , & quæ superessent lites , viâ juris expediri juberet , aut Electoribus , Principibus & Statibus quibusdam non-interessatis negotium Committeret.

VIII.

Quid alii Electores , Principes aut Status hinc præstiterint , ut ab initio præfati fuimus , non recensebimus. Non tamen possumus , quin Serenissimi Electoris Brandenburgici nuper admodum ( 8. Aug. St. Vet. ) ad ipsam Civitatem perscriptas literas veneremur , quibus collaudatâ Erfurtensem , in Puncto precum , novissimâ partitione , operam ad reconciliandam ipsis Eminentissimi Moguntini gratiam , & liberationem à Banno adipiscendam , clementissimis verbis pollicetur.

*Sat Est.*

Indiculus

## Indiculus Rationum,

**Q**Uæ Christianissimæ suæ Regiæ Majestati persua-  
deant, ut non tantùm ab opprimendâ Civitate  
Erfurtensi Regias manus abstinere, sed & Eminentis-  
simo Domino Electori Moguntino, ut Civitati par-  
cat, author esse velit.

I.

Executionem hanc dissuadent, Potentissimus Sueciæ  
Rex ( testibus Regiis Literis ) &

II.

Omnes Electores, Principes & Statûs Imperii, Con-  
fessionis Augustanæ addicti ( teste Memoriali, quod Augu-  
stissimo Imperatori nuper in Comitibus exhibitum fuit, &  
testibus literis unius alteriusque Domini Electoris peculiari-  
bus, tum sub finem Anni 1663. tum hoc ipso Anno cur-  
rente, ad Cæsaream Majestatem, ad Eminentissimum Mo-  
guntinum, ad Civitatem Erfurtensem datis.

III.

Tres item integri Circuli, Saxonicus superior & in-  
ferior, unâ cum Franconico ( testibus Circularibus literis. )

IV.

Casus ex parte Eminentissimi Moguntini, ad Instr.  
Pacis non est qualificatus, aut ostendatur artic. & paragra-  
phus ex Instr. Pac. ad quem Casus quadret.

V.

Quinimò Instr. Pac. art. 5. §. Hoc tamen non obstan-  
te &c. disertè cavetur, Statuum Catholicorum subditos, cu-  
juscunque generis, in Ecclesiasticis secundum statum Anni  
1624. simpliciter censendos, & in istum statum etiam ple-  
nariè Restituendos.

VI.

## VI.

Ut nihil jam dicatur de Declaratione Eminentissimi Moguntini, in Tractatibus Osnabrugensibus factâ, relicturum se eum statum Civitati, in quo Anno 1624. fuisset, teste Protocollo. At Anno 1624. in Ecclesiis Erfurtensibus nullæ preces pro Electore Moguntino factæ, quinimò nec ante Annüm 1624. nec ante motus bellicos ea, quæ nunc Erfurtensibus injuncta est, precum formula in usu unquam fuit, sed noviter eam excogitari & concipi oportuit, ipsis non dissentibus Ministris Moguntinis.

## VII.

Nec ergò quadrat etiam ad Decretum primorum Commissariorum Cæsareorum, Anno 1650. prolatum, ut eâ intentione & modo introducerentur preces, ut ante motus bellicos in usu fuerunt.

## VIII.

Non obstat prætensa Transactio, Anno 1660. facta. In hanc enim se consensisse, negat Civitas; adeoque cum facti sit, ab alterâ parte probanda, aut si pro exceptione habeatur, quod opposuit Civitas, saltem prius ad probandas suas exceptiones admittenda fuisset, quam percuteretur Banno.

## IX.

Sed esto, transactionem istam omni vitio carere, attamen non ideò qualificatus est Casus ad Inst. Pacis, sed juxta præscriptum Juris communis expediendus.

## X.

Non obstant Mandata Cæsarea, & Decreta, quia Civitas adversus hæc usa fuit legitimo Supplicationis sive Revisionis remedio, in Inst. Pac. Art. 5. §. quoad Processum &c. fundato, nullâ ratione Civitati denegato.

## XI.

XI.

Sed & tempori cedens Senatus, Erfurtensis, ad partitionem paratum se ostendit, quamquam à plebe tumultuante prohibitus, eam perficere non potuit.

XII.

Attamen Banno, unâ cum plebe, adeoque nulliter percussus, quia non amplius contumax.

XIII.

Præfestinata etiam à Dominis Commissariis, antequàm super novo partitionis factò aliisque circumstantiis cognosceretur, Sententia.

XIV.

Non consulto Collegio Electorali, sine cuius assensu Augustissimus Imperator, neminem in Bannum se Declaraturum promiserat, Capitulationis Art. XXVIII.

XV.

Quæ verba, si non, prout jacent, intelligenda, interpretatio ejus Articuli non penes Eminentissimum Moguntinum ( in causâ maximè propriâ ) stabat, sed ab his, qui Capitulationis leges præscripserant, omnibus petenda.

XVI.

Neque negligendi Electores, Principes & Status, in Causâ tam gravi, & unde tumultus in Imperio timeri possent. I. P. Art. 5. §. quoad Processum &c.

XVII.

Sed & alia quoque Banni requisita deficiunt, maximè substantialia; Ne quidem citati Rei ad audiendam Eminentissimi Electoris accusationem; Quin imò Communitas, quæ hætenus etiam, dum Civiliter ageretur Causa, in lite planè non fuerat, Capitis damnata.

XVIII.



XVIII

Denique, ut res se habeat cum istâ Banni promulgatione, attamen Civitas partitionem imperatam 19. & 29. 1664. præstitit,

XIX.

Ad Instantiam & persuasionem Serenissimi Electoris Saxoniae, cæterorumque Electorum, Principum & Statuum Evangelicorum, bonâ fide, mente optimâ factam, quorum omnium periclitatur existimatio, si non attentâ hâc ultimâ partitione, executio tamen expediatur.

XX.

Si quid habeat Eminentissimus Elector, quod in istâ partitione adhuc desideret, exponendum, non in sinu tacitè fovendum, armisque & cædibus, quod sine sanguine parari potest, petendum.

XXI.

Si expensarum restitutionem, si mulctam, si alia ejusmodi intendat, Judicis arbitrium, ex præscripto Constitutionum Imperii, expectandum, non sibi ipsi jus dicendum.

XXII.

Sed nec in propriâ causâ Executor quis esse potest. Vid. Instr. Pac. Art. XVI. §. Imprimis quidem &c.

XXIII.

Quod verò peculiari ratione contra Regulas Juris communis, in Recessu Norico, §. So dann Chur: Fürsten vnd Stände 2c. certis quibusdam Statibus ibi specificatis, ad certum, ibique expressum tempus, nempe intra ultimum exauktionis & evacuationis terminum, permissum, minimè extendi aut trahi potest ad consequentiam.

XXIV.

Cæterum Sententiæ non aliter executioni mandandæ,  
D  
quàm

quàm prout Imperii Leges de exequendis Sententiis consti-  
tuunt. Inst. P. Art. XVII. §. & nulli omnino &c.

XXV.

Nec Eminentissimus Moguntinus ( etiamsi Causa eum  
non tangeret ) in Circulo Superiori Saxonico Executor est  
idoneus , hoc ipsum Serenissimo Electore Saxoniae, literis  
ad Augustissimum Imperatorem priori Anno 1663. alle-  
gante , & id in sui , tanquam Ducis Circuli Superioris Sa-  
xonici ignominiam vergere, conquerente,

XXVI.

Temporis etiam rationi talis Executio planè non con-  
venit , Turcâ præ foribus stante , & exitium Reipublicæ  
Christianæ minitante.

XXVII.

Quibus temporibus ab internis bellis & tumultibus  
securos esse debere Statûs & eorum subditos , jam olim  
publicis Imperii Recessibus cautum, Vid. Recess. Imperii Ao.  
1557. Ratisponæ §. *Als wir Uns dann bey diesem Art. ze.*  
1566. §. *Wiewohl sich dann ferner ze. aliisque.*

XXVIII.

Exempla etiam in promptu sunt suspensarum tali  
tempore Executionum , quæ sine armis expediri non po-  
terant.

XXIX.

Munita Civitas est Erfurtum, ad primum non ca-  
pietur Impetum.

XXX.

Interim Statûs Vicini & eorum subditi injuriis ob-  
sidentium & in vicinos agros excurrentium militum, nullâ  
suâ culpâ, expositi. Nec invadi Urbs , nec obsideri po-  
test , in meditullio Thuringiæ sita , sine gravissimo vici-  
norum Statuum damno & periculo.

XXXI.

XXXI.

Omnem lapidem forsan movebit Urbs , ut si sola non sufficiat Impetui sustinendo , aliunde juvetur. Quid si suppetiæ ferantur ? Quid si bellum in his oris excitetur toti Germaniæ ( absit omen ) funestum.

XXXII.

Quid si Status vicini , justissimè , ne latius serpat ignis , metuentes , & proprio milite Domi suæ indigentes , auxilia in Hungariam missa revocent , ulteriora , ad proprios agros defendendos , retineant Domi ? quid tum de bello Turcico futurum est , & cujus tunc culpâ ?

XXXIII.

Evidenter periclitantur terræ & Interesse inclytæ Domûs Saxonicæ , de Christianissimo Rege non malè meritæ.

XXXIV.

Non gratificabitur Christianissimus Rex Eminentissimo Electori , cum offensione aliorum Amicorum.

XXXV.

Et aliorum sibi non minùs Confoederatorum ( Nam & ex his quidam sunt Vicini )

XXXVI.

Imò cum jacturâ existimationis insignis , quam de Christianissimo Rege , ejusque Justitiâ , & in oppressos favore singulari , jam olim conceperunt Statûs Imperii Protestantes.

XXXVII.

Levissima causa est precatiuncula , ob quam ( forsan justè ) recusatam , attamen receptam nunc , Civitas amplissima internecioni danda.

XXXVIII.

Non digna causa tam Levicula Irâ Regiâ.

## XXXIX.

Non obstat prætenſa Civitatis inobedientia erga Eminentiffimum Electorem. Ignoscendum ei, qui nimiam juris ſui confidentiam, qui bono animo errat; Nihil adverſus Eminentiffimum Electorem molita Civitas, juri tantum ſuo incubuit, non abſoluto Eminentiffimi Electoris Imperio parens, ſed certis ei legibus ſubjecta, ſua de cætero libertate gaudens & ſuis Privilegiis.

## XL.

Ignoscendum Civitati, quæ aliquandiu reſtitit, non precatiunculas ſuas Moguntinentibus, aut nudam illam aliquot verborum conceptionem & recitationem curæ cordive eſſe, ſed omnimodæ Superioritatis fundamenta ſub hac ſpecie jaci velle perſuaſa, ab ipsis etiam Moguntinentibus Miniſtris.

## XLI.

Non obſtat violatio Fecialis Cæſarei; Scelus iſtud non totius Univerſitatis eſt, ſed ſingularum quarundam perſonarum, quæ id perpetrarunt. Senatus cæteriſque Cives, neque juſſerunt, neque ratum habuerunt, quin potiùs horrendum facinus ingemuerunt, ultrici etiam id manu perſecuturi, cum priſtinis viribus & Authoritati fuerint reſtituti.

## XLII.

Nec ipſa etiam Banni Sententia ad hoc factum, utpote Sententiâ novius, trahi poteſt; novam id requirit in Authores inquisitionem, ne inſons pro nocente pleſtatur.

## XLIII.

Cavendum, ne denuò ad deſperationem adigatur, ad bonam frugem reverti volens, omnibusque votis Gratiâ Auguſtiſſimi Cæſaris & Eminentiffimi Electoris expectans Civitas.

XLIV.

XLIV.

Fieri posset ( quod Deus avertat ) ut Plebs, ad val-  
sam defendendum armata suspicionibus, ut sæpius factum,  
indulgens damnorum illatione & sociorum clade, ( si qua  
contigerit ) in rabiem denuò acta, excusso omni Magi-  
stratus Imperio, in omnes illos, quos Moguntini partibus fa-  
vere sentit, impetum faceret, novisque rapinis & cædi-  
bus Urbem completeret, nulli tamen usui, etsi occupare-  
tur, futuram.

Parcendum Civitati, totque insontibus  
in ea commorantibus bonis Civibus,  
Fœminis, Infantibus.

Parcendum Vicinis, Amicis, Confœderatis,  
Patriæ Reipublicæ Christianæ.

Parcendum denique Existimationi propriæ.

Copia

Copia  
Schreibens von Chur-Brandenburg

An  
Chur-Maynz /  
Die Statt Erfurt Betreffent.

Anno 1664.

Unsern ꝛc.

**W**ir hoffen/Ewer Ebd. werden vnser vom 24. hujus an  
Dieselbe abgelassenes Schreiben / die Statt Erfurt be-  
treffent/wohl empfangen haben: leben auch nochmals der  
festen zuversicht / Dieselbe werden vnser trewgemeinte erin-  
nerung bey Ihro gelten lassen / vnd wie Ewer Ebd. bißhero/zu  
Ihrem vnsterblichem nachruhm/gethan / den Frieden vnd Ruhe  
des Römischen Reichs zu Ihrem zweck haben / vnd also das  
Bonum publicum cuius vindictæ, etiam iustissimæ, vorziehen.  
Nachdemahln Wir aber inmittelß auß dem jenigen / so Ewer  
Ebd. vom 28. Augusti an Chur-Sachs. Ebd. geschrieben / vnd  
von Derselben Uns Communicirt worden / ersehen / daß Ewer  
Ebd. nunmehr im werck begriffen / sowohl mit dero eigenen/  
als andern Auxiliar-Völkern / nicht allein die Statt Erfurt/  
sondern auch andere / welche diese fomentirt, auzugreifen: So  
haben Wir nicht vrtelassen können / Ewer Ebd. ferner beweg-  
lich fürzustellen / in was euserste gefahr / noth / schaden vnd  
ungelegenheit / hierdurch die ganze Christenheit / das Römisch  
Reich vnd anfänglich dieser Ober-Sächsische Creysß würde gesezet  
werden/wann Ewer Ebd. dergleichen Vorhaben ins werck richten  
würde; Dann/obzwar Ewer Ebd. in dero Schreiben versü-  
chern / daß Sie für dero Völkern nur transitum innoxium  
begehren/

begehren / So versehen Wir Uns doch Freund- und Brü-  
derlich / Ewer Ebd. werden Uns nicht vbel auffnehmen / wann  
Wir Derselben darauff melden und fürstellen müssen / daß Sie  
hierinnen etwas versprechen / so ausser Dero vermögen und kräft-  
ten ist : dann / wie vnmöglich es seye / heutigestags Kriegs- Völ-  
cker in solcher Disciplin zuführen / und von allen Exorbitan-  
tien abzuhalten / solches ist Ewer Ebd. und der ganzen Welt  
bekandt : Ewer Ebd. können auch leicht ermessen / daß sich nie-  
mand hierauff verlassen / sondern ein jedweder diesen anzug/  
als eine gewaltsame Oppression ansehen und apprehen-  
diren werde. Ewer Ebd. ist ohne Unser weitläufftiges anfüh-  
ren / genugsamb bekandt / was auß dergleichen Executionen /  
und offtermahls viel kleinerm Fehr / für grosse inconuenientien,  
und schwere entzündung entstanden / worauff nachgehends  
noch viel-jährige Kriege erfolget / und allerhand Landver-  
derbliche Vnruhe verursachet worden. Wie nun Ewer Ebd. es  
an gnugsamen und zureichenden mitteln nicht ermangelt / zu  
Dero befugnissen / auch ohne dergleichen Extremiteten zuge-  
langen / So wollen Wir Ewer Ebd. ganz Freund- und Brü-  
derlich / und zwar vmb der Liebe willen / welche Sie zu Uns-  
serm Vatterland und dem Heyl. Römischen Reich tragen / hie-  
mit ersucht und gebetten haben / Sie wollen zu beybehaltung  
und vergrößerung Ihrer wohl erlangten hohen renomée, es hier-  
zu nicht kommen lassen / sondern was Wir Derselben in Uns-  
serm jüngsten Schreiben wohlmeinend offerirt und gerathen /  
acceptiren , und bey Ihr gelten lassen. Ewer Ebd. können  
sich dabey versichert halten / daß Wir nicht ruhen werden / bis  
Dieselbe in allen fällen billige und gebührende Satisfaction er-  
langet : Solten aber Ewer Ebd. wider Unsere gänckliche zu-  
versicht / in diesem Vorhaben ungeändert verharren / und da-  
rauß / durch Gottes verhängnis erfolgen / daß bey diesem Trübsee-  
ligen zustand der Christenheit / das Römische Reich / Unser ge-  
liebtes Vatterland / in newe innerliche Vnruhe gerathen würde ;  
So

AK Ya 5325  
So müssen Wir zwar Gott und der zeit solches anheimb stel-  
len / wollen aber für der ganzen Welt zum feyrlichstern pro-  
testirt haben / Das die Verantwortung und eines jedwedern  
erlittene schade / von dem allein zu fordern / welcher an solchem  
Unwesen schuldig seye : hoffen auch / Ewer Ehd. werden Uns  
nicht verdenecken / das Wir dieses weit-ausschende Werck / wo-  
ran des Ober-Sächsischen Creyses wohlfahrt und verderben  
hanget / mit andern Creys-eingefessenen / sonderlich aber der  
Cron Schweden Communiciren , nicht zwar hierdurch Ewer  
Ehd. den geringsten verdruß zu zufügen / sondern nur bloß  
und allein / den Creys in ruhe zuerhalten / und Uns vor als  
erhand gefahr und oppression zu præserviren ; Wobey Wir  
dann dieses nicht wenig beklagen müssen / das Wir an Unserm  
guten Vorsatz hierdurch behindert werden / und die 1000. Knechte /  
welche Wir sonst in wenig tagen Ihr Kayserl. Mayest. zu  
hülff zu schicken entschlossen waren / nunmehr nicht marschi-  
ren lassen können / sondern vielmehr Unsere bereits bey der  
Kayserl. Armee habende Völcker zu revociren / und Uns des-  
ren zu Unserer und des Creyses sicherheit zugebrauchen / ge-  
zwungen würden / im fall Ewer Ehd. bey Dero fürhaben fest  
stehen / und der Friede in solche motus kommen solte. Wir  
leben aber nochmals der zuversicht / Ewer Ehd. werden dieses  
alles wohl beherrigen / und zu gelindern und sicheren Consil is  
sich bewegen lassen / und dardurch allen Creys-eingefessenen  
vielmehr vrsach geben / Derselben danck zusagen / das Sie die  
erhaltung Fried und Ruhestands allen andern respecten fürgezog-  
gen. Wir werden Unsers theils auch Ewer Ehd. dießfalls  
sonderlich obligirt verbleiben / wie Wir dann sonst auch / zc.  
Geben Cöllen an der Spree / den 27. Aug. 1664.

E N D E.

1017



QK. 131,27

Indiculus A  
IN CAUSA

CIVITATIS ERFUR  
Historiam totius Neg

Indiculu  
Literarum Regiarum,  
aliarumqu

De  
EXECUTIONE  
ERFURTE

Indiculu  
Rationum  
EXECUTIONE  
ERFURTEN

Copia  
Schreibens von Chur  
An

Chur-May  
Die Statt Erfurt  
Anno 160

882  
3  
pres publ



25

CA  
VA

